

Antonius de Recziis

50

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Antonius de Recziis

50

1482-03-26

† In Dei nomine amen. Mense Martii, die vicesimosexto eiusdem, decimequinte indictionis, Mathere; anno Domini millesimo quadrigentesimo octuagesimo secundo, die... martis, regnante... Ferdinando de Aragonia, pacifico rege Sicilie, etc.

Nos Antonius de Ricziis de Iuvenacio, legum doctor, regius capitaneus civitatis Mathere suique districtus, sedentes pro tribunali in domibus nostre residentie, adsedente nobiscum notario Paulo Pescho de Matera, ibidem nostro actorum magistro, universis et singulis presentem nostram sententiam diffinitivam inspecturis declaramus... quod, hiis diebus non longe decursis, Iacobus de la Pereghia de Matera, pacifice et quiete et sub proteptione regia securus accessisset ad domum sue habitationis de nocte circa horam secundam, siquidem Franciscus de Pognino de Mathera, diabolico spiritu istigatus, quemdam lapidem in eum progecit et in capite ipsum vulneravit cum sanguinis effusione et vulneris apparitione, ex quo stetit per plures dies in lecto causa vulneris predicti. Et sic eundem nobis et nostre curie denunciavit, pro ut apparet ex actis curie predictae; ob cuius denunciationem et querelam contra eundem Franciscum processimus, inquirendo contra eundem de dicto commisso, examinando nonnullos testes nominatos eidem curie ab eodem Iacobo et eundem Franciscum per plures et plures dies in carcere detunicimus; ex quo cum non constaret de delicto predicto, eundem sub fideiussoria cautione liberavimus, admonuimusque post modum eundem Iacobum ut si alios testes iudicio et probationes de novo contra eundem Franciscum denunciatum haberet, ipsos et illa infra spatium sex dierum ad presens per dies et dies elapsum, coram nobis

et nostra curia produxisse deberet, quod Iacobus ipse facere non curavit, sed postmodum instante Carluzco de Mirabella ipsius curie coaiutore et petente, facta eisdem Iacobo et Francisco citatione per eandem curiam, ut comparere deberent pro sententia audienda super dicto processu et inquisitione per nos et nostram curiam emenda, // Iacobus ipse comparuit et coram nobis asseruit sponte nullos testes, nulla iudicia et probationes de novo contra eundem habere, set vult et nullatenus de tali causa loquatur aut agitetur, quia omne ius quod si forte contra eundem Franciscum pro causa iamdicta haberet, illud eidem remictit, quemadmodum hec omnia in dictis actis seriusius apparent. Unde cum post predicta, sicuti predictur, agitata instaret dictus coadiutor ut super dicto asserto delicto et super inquisitione facta ad denunciationem et querelam dicti Iacobi procedere deberemus ad condemnationem vel absolutionem, pro ut merita processus exposcitant, volentes, ut tenemur, causas indecisas non derelinquere, sed illas fine debito determinare, visa querela et denunciatione predicta, visaque inquisitione super illa emanata, visisque testibus super illis examinatis, visisque ceteris agitatis, gestis et factis in causa predicta et super hiis habita diligenti et matura deliberatione, quia invenimus dictum Iacobum non probasse suam intentionem et sic invenimus dictum Franciscum inculpabilem et innoscium de dicto delicto contra eum adjecto, propterea, Christi nomine repetito, per hanc nostram deffinitivam sententiam eundem Franciscum a dicto processu et inquisitione contra ipsum, ut predictum est, formati absolvimus et liberamus ac absolutum et liberatum esse mandamus per hanc nostram diffinitivam sententiam absolutoriam in hiis scriptis tacite proferentes, lectam, latam etc.;

1

presentibus iudice Paulo Agatho, Antonello de Perro, Donatello de Alemo, Antonio de Santoro, Iacobo Antonio de Cataldo, Silvestro de Iacobo et aliis quam pluribus testibus, presente quoque supradicto Francisco absoluto et sententiam ipsam laudante, Carluzio quoque coadiutore predicto et gratiam Deo omnipotenti, regi et curie pro ministratione iustitie agente, Iacobo predicto citato et monito et non comparente.

Per detinuimus